

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Librorum De Re Diplomatica Supplementum

Mabillon, Johannes

Luteciae-Parisiorum, 1704

Caput XI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-3159

ipſo Hugone; dein cum ducatu tranſmiſſa ad Odonem, inde ad Rotbertum, Rotberti Fortis filios, & ab eis ad poſteros omnes Francorum reges, qui abbatis ſancti Martini titulo gaudent. quæ omnia indicio ſunt, Hugonem, præſtantiffimum illum abbatem, ejuſdem ſtirpis fuiſſe, adeoque Rotberti Fortis germanum fratrem. Hæ conjecturæ ſunt noſtri Georgii *Violes*, quas peritorum iudicio permittimus. Hæc fuſius explicari poſſent; verum hujus argumenti dignitas majores curas, & in rebus genealogicis magis verſatum hominem poſtulant.

At quamquam magnopere laudandi ſunt eorum conatus, qui Rotberti Fortis genus investigant, & illuſtrare ſtudent: ita maxime reprehendendi, qui fictis aut fucatis titulis tam illuſtrem virum dehoneſtant. qualis fuit nuper vir quidam haud ignobilis, qui Rotberti genus deducere tentavit ex Eccardo comite, cujus paternum genus ex Nebelungo proavo per Childebrandum avum deducere conatus eſt; Eccardo filios Nebelungum, Theodericum, Eccardum juniorem & Richardum; Nebelungo Rotbertum Fortem, necnon Theodericum, alioſque filios aſſignans, prolatis argumentis ex chartis Silviniaceniſis monaſterii, nuperrime à ruſtico quoda n homine iſtuc alatis, & à Priore, qui nobis hæc retulit, coëmptis, quas viri docti, ſtatim atque vulgare ſunt, ut ſpurias habuerunt, & nos ipſi recentiffime ſcriptas fuiſſe deprehendimus. Sed de his alias.

CAPUT XI.

I. *Quædam retractantur circa bullas Romanorum Pontificum.* II *Circa diplomata regum Francorum.* III. *Eorum ſigilla aurea & plumbea.* IV. *Item regum Anglorum & aliorum.* V. *De ſignis idiographis.* VI. *Veteris palatii deſcriptio.* VII. *De ſtilo & uſu pennarum ad ſcribendum.*

ETſi in recenſione librorum de re Diplomatica multa correxerim, quædam ſubinde addiderim; nonnulla tamen inſuper retractanda reſervavi in hunc locum, quæ nunc explicanda ſunt. Incipio à Leone IX. qui primus Pontificum archicancellarium habuiſſe videtur præter cancellarium, qui vice archicancellarii pontificia diplomata ſubſcribebat. Sic privilegium Salernitanæ^a eccleſiæ, rogatu Johannis archiepiſcopi ab eo datum dicitur per manus *Friderici apoſtolice ſedis cancellarii*, vice domni *Herimanni Coloniensis archiepiſcopi & archicancellarii*, quorum neuter, ſi non fallor, tunc cardinalis erat. Hujus rei exempla in Leonis IX. diplomatibus paſſim occurrunt, qua in re Germaniæ imperatorum morem pontifex imitatus eſt, quod pauci ejus ſucceſſores ſecuti videntur. Per id tempus locum dati diplomatis raro exprimebant Romani pontifices.

^a *Baron. an. 1051.*

In bullis pontificum quædam annum incarnationis à kalendis Januarii deſumunt, aliæ à die xxv. Martii, ut Alexandri III. diploma, quo poſſeſſiones monaſterii ſancti Martini Pontifarenſis confirmantur, datum Beneventi per manus *Gratiani S. R. E. ſubdiaconi & notarii*, idibus Februarii, indiſtione III. incarnationis *Dominice anno M C LXIX. pontificatus domni Alexandri papæ III. undecimo.* Cum enim Alexander III. agnitus ſit pontifex anno M C LIX. die vi. Septembris; annus ejus undecimus menſe Februario coincidebat cum anno incarnationis M C LXIX. ſecundum veterem calculum, cum anno M C LXX. ſecundum novum, qui indiſtione tertia præditus erat. Perſeveravit varius iſte bullarum uſus ad noſtra uſque tempora, de quibus fuſe diſſerit Papebrochius in Conatu-chronico hiſtorico^b de Romanis pontificibus: ubi obſervat vir eruditus in bullis pontificiis diverſimode annos ſignari, tum à kalendis Januarii, tum à die xxv. menſis Martii, quod quidem frequentius uſurpatur; brevia vero à Januario, quæ anulo Piſcatoris ab Alexandri VI. pontificatu inſigniri cœperunt.

^b *Papebr. pag. 214. * & ſeq.*

In ſigillis pontificum obſervandum Pauli I. ſigillum, quod ex ſuo muſeo nobis communicavit humaniſſimus abbas Fauvellus, harum rerum ſtudioſiſſimus. In ejus

Diplom. Supplem.

M



CAP. XI. antica parte exhibentur sanctorum Petri & Pauli imagines; in postica Pauli nomen græcis litteris, ut in subjecto cætypo observare licet.



Cur vero nomen suum græcis litteris adscripserit pontifex, id factum videtur, tum exemplo quorundam illius ævi hominum pro tempore eruditorum, qui nomen suum græce scribere amabant, ut in quadam charta Ravennensi, hic in Appendice relata, observare licet; tum ex ejus propensione in Græcos, qua factum est, ut Græcos monachos in Gregorianum sancti Andreae monasterium introduxerit.

Non omittenda hoc loco epistola Innocentii IV. archiepiscopo Narbonensi inscripta, cui pontifex significat, alterum bullæ suæ *tyrium*, quo veneranda apostolorum Petri & Pauli capita exprimuntur, jam attritum *innumeris malleationis diutina percussuris*, confectum esse; ob idque *ut bullæ defectus quotidianam non interrumperet apostolici ministerii servitutem*, ea ipsius bullæ parte, quæ suum ipsius nomen imprimit, non mutata, aliud *tyrium capitum prædictorum in bullandi usum* se curasse subrogari. Verum, quia sculptoris manus illud priori non omnino simile effecerat; ne ex hac dissimilitudine nota quamlibet difficultatem oriri contingat, ideo se prædicto archiepiscopo per apostolica scripta mandare, ut, si qua in ejus provincia super apostolicis litteris de veritate bullæ dubitatio emerferit, collatione bullæ præsentis cum illa, de qua controversia fuerit, facta, celerem dubitationi finem imponat. Datum Perusii III. nonas Julii, pontificatus sui anno decimo. Istius mandati exemplum in hujus Supplementi appendice referam ex authentico, cujus copiam mihi fecit pro sua humanitate eruditissimus Baluzius, veterum monumentorum locuples cimeliarcha. Idem Innocentius IV. in rescripto ad abbatem monasterii de Firmitate Ordinis Cisterciensis, confectus de quibusdam apostolicis privilegiis, quorum fila serica è bullis dependentia magna ex parte amputata erant, declarat ea privilegia ob id suspecta reputari non debere, *dummodo alias omnino suspitione careant*. Idem etiam scripsit ad abbatem de Boheriis ejusdem Ordinis, diocesis Laudunensis.

II. Venio ad Francorum reges, quorum præclara diplomata authentica vidimus in archivo ecclesiæ Aduensis, quo nullum forte nobilius in ulla cathedrali Franciæ ecclesia. In eo quippe asservantur multa secundæ stirpis Francicæ authentica monumenta, Caroli Calvi & regum subsequentium: ex quibus unum est Karolomanni, filii Ludovici Balbi, quo, ad preces Richardi comitis Augustodunensis, villam Taniacum, quæ olim ab episcopatu abstracta, & comitatui addicta fuerat, sancto Nazario & Adalgario episcopo restituit. Datum pridie kal. Decembris, anno 11. Karolomanni gloriosissimi regis, indictione XIII. Actum apud Nerundam-villam * diocesis Senonensis. Theodericus comes ambasciavit, id est suo interventu obtinuit. qua de re in libro 11. de re Diplomatica ^a egimus. Norbertus notarius post regem subscripsit. Mirum est nullum reperiri diploma Ludovici, ipsius Karolomanni fratris, forte quod duobus tantum annis non integris regnaverit. Certe nullum hæcenus mihi occurrit.

At insigne præ ceteris est authenticum Odonis regis, eidem Adalgario restituentis villas Cuniacum, Selviniacum, & Saviniacum, sitas in pagis Nivernensi, Cabilonensi, & Matisconensi. In monogrammate Odonis adscriptum est Y græcum. Throanus notarius ad vicem Eblonis recognovit. Data x. kal. Julii, indictione VIII. anno incarnationis Dominicæ DCCC XC. anno III. regnante domno Odone. Actum Macduno * monasterio, quod opidum est ad Ligerim infra Aurelianorum civitatem. Sigillum Odonis integerrimum est cum hac inscriptione, ODO GRATIA D̄I REX. Hæc in sigillo diplomatis Carnutensis, alias ^b à me exhibitio, omnino deleta erat. quare dubitabam, an genuina esset Odonis effigies. verum hanc dubitationem sustulit Aduense Odonis authenticum, cujus sigillum hic repræsentare juvat.

* Nerouville.

^a Diplom. p. 205. &c.

* Meun.

^b Diplom. p. 403.



Qui prædictum diploma recognovit Throannus notarius ad vicem Eblonis, quem alii Ebolum vocant, forte is sit Trohannus, qui postea creatus fuit Aurelianorum episcopus, laudatus à Letaldo monacho Miciacensi in libro de miraculis sancti Maximi abbatis.

In eodem Æduensi archivo invenimus aliud authenticum Ludovici Transmarini, qui rogatu Hugonis ducis Francorum, cognomento Magni, & Bernardi Belvacensium comitis, litteris suis chartas incensas & pessumdatas supplet; confirmatque Æduensi ecclesiæ inter alia Torterum, Suliacum, & Lufiacum, quam postremam villam Syagrius episcopus olim eidem ecclesiæ contulerat. *Odilo notarius ad vicem Anseisi episcopi, summique cancellarii recognovit. Datum Autifodoro v. kal. Augusti, anno DCCCC XXXVI. indictione VIII. anno 1. regnante Ludovico gloriosissimo rege.* Hujus diplomatis eo lubentius mentionem facio, quod ex ejus chronicis notis annus primus Ludovici Transmarini diserte asseratur, qua de re alias ^a à me actum est.

^a *Diplom. p. 200.*

III. Præter cerea sigilla regum nostrorum, quædam fuere aurea, quædam etiam plumbea: de quibus in libro II. egimus capite XVI. Ad hæc in archivo basilicæ sancti Martini Turonensis tria sigilla aurea asservantur. Unum appensum est Ludovici Pii præcepto, quo ejusdem basilicæ immunitates confirmantur ad preces Fredegisi abbatis. *Data III. kal. Septembris, anno Christo propitio tertio * domni HLudowici piissimi augusti, indictione X. Actum Aquisgrani palatio regio.* Affixum erat sigillum cereum, ut ejus vestigia probant; & insuper appensum cernitur sigillum aureum cum effigie imperatoris, atque hac epigraphe in antica, D. N. HLUDOWICUS IMP. & in postica, RENOVATIO REGNI FRANCORUM. Hoc diploma Helisachar recognovit & subscripsit. Alterum sigillum absque ullo vestigio sigilli cerei appensum est præcepto Caroli Calvi ad confirmanda ejusdem basilicæ privilegia, & prædia stipendiis canonicorum assignata, quæ auctoritas ut conservetur, *manu, inquit, propria subter eam firmavimus, & de bulla nostra sollemniter insigniri jussimus.* Apposita est Caroli subscriptio ex cinnabari seu minio, facta eodem modo, quo eam Carolus ipse, jam imperator factus, diplomati suo pro Compendiensi ecclesia adhibuit, eodemque fere modo, quo epistolæ græcæ inferius exhibendæ apposita est. *Data VIII. kal. Maii, indictione X. anno XXI. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Turonis civitate.* Appensum est sigillum aureum, quod bullæ nomine Carolus designavit. Eodem vocabulo utitur in pancharta, qua villas ac possessiones omnes ejusdem basilicæ confirmat post incendium monasterii sancti Martini, quod *severissimi atque crudelissimi Nortmanni concremaverant.* quam panchartam, *de bulla, inquit, nostra insigniri fecimus. Data XI. kal. Septembris, anno XV. regnante Karolo glorioso rege, indictione I. Actum Turonis civitate.* Appensa fuisse videtur bulla aurea, uti apparet ex fissura membranæ, ex qua dependebat. In superiori illo Caroli diplomate bullæ aureæ inscriptio in antica parte fere detrita est, præter nomen Karoli; in postica

* *sic.*

CAP. XI. † RENOVATIO REGNI FRANCO. Duas illas bullas aureas hic exhibemus cum bulla Ottonis III. possessiones sancti Martini in Italia sitas confirmantis : quo ex tempore bullæ aureæ magis in usu fuere.

^a *Diplom p. 142. & seq.* Quod attinet ad bullas plumbeas, Carolinis temporibus eas in usu fuisse constat non modo in pontificiis, sed etiam in regiis & imperialibus diplomatis, ut suo loco ^a demonstravimus. Ex iis quasdam è suo cimelio protulit, & accurate effingi curavit jam laudatus Fauvellus abbas : ex quibus tres hoc loco post aureas bullas in una eademque tabella exhibere visum est, Caroli nomine insignitas : at cujus Caroli sint, non constat. Ex his prima, quæ est Karoli imperatoris, Karoli Magni an Calvi sit, dubium est. Calvo secunda tribuenda : tertia Carolo Crasso imperatori. Neque ad id discernendum valet inscriptio in averfa parte appofita, RENOVATIO REGNI FRANC. vel IMPERII. Hoc enim elogium omnibus indifferenter imperatoribus, regibusve tribuebatur. Secundæ bullæ plumbeæ inscriptio postica eadem est cum ea, quæ bullæ plumbeæ bibliothecæ regie ^b appofita est ; adeoque utraque eidem regi tribuenda.

^b *Ibid.*



IV. Apud Anglos universim aut nulla, aut rara erant sigilla ante Willelmum Conquæstorem, qui sigillorum usum primus apud eos invexit. Id probant in primis Ingulfus, & annales Burtonenses ad annum M IV. ubi nobilis quidam Anglus, Wlfricus nomine,

nomine, Burtonensem abbatiam construxisse dicitur, eique universam hereditatem suam donasse. *Et quia*, inquit auctor, *nondum utebantur sigillis in Anglia, fecit donum suum confirmari subscriptionibus.* Huc spectat quod ait Ingulfus, chirographorum confectionem apud Anglos, usque ad Edwardi regis tempora, testium subscriptionibus cum crucibus aureis, aliisque sacris signaculis firmam fuisse: Normannos vero constituisse, ut chirographis chartæ succederent, quæ cum cerea impressione, per uniuscujusque speciale sigillum, sub instillatione trium aut quatuor testium, firmæ & ratæ fierent.

Sigillis affixis nullum vulgo apponebatur contrafigillum, ut alias ^a observavimus. Attamen in archivo Cavensi duo asservantur diplomata Waimarii seu Guaimarii principis Salernitani ^b, sigillis affixis prædita, quibus in averfa parte contrafigillum impressum est. Sigillum quippe cereum ex una parte Waimarium dimidiato corpore, cum sceptro in dextra, & corona clausa in capite refert, sub hac inscriptione in antica parte, WAIMARIUS PRINCEPS: in postica vero manum extensam, medio digito ad indicem reflexo, cum eadem inscriptione. Ibidem Rogerii Siciliae regis aurea bulla asservatur.

V. Præter ea, quæ de signis idiographis diximus in libro II. de re Diplomatica, capite XXI. num. XIII. ex charta Chrothildis matronæ, cui chartæ testes nominibus suis propria signa apposuere; idem etiam observavimus in litteris Adonis abbatis pro Remensi sancti Remigii basilica, Dagoberti tertii anno quarto datis, quibus testes nomina sua cum idiographis signis subscribere, cum hoc tamen discrimine, quod quorundam signa nihil aliud quam verbum *subscripsi*, implexis & implicatis litteris expriment: quod etiam in charta Chrothildis observare licet: aliorum vero nomina, qui scribendi imperiti erant, non simpliciter apponuntur, sed signum N. interposito signo crucis, quod etiam à posteris observatum est, cum propria manu subscribendi usus obsolevit.

VI. De palatiis regum nostrorum multa observanda essent præter ea, quæ in libro IV. dicta sunt: sed pauca tantum seligo notatu digniora.

In primis ad statuendum Cassinogili Aquitaniæ palatii situm non parum conferre potest id, quod in historia abbatiæ Condomiensis ^c legitur: ubi Bernardus de Taurinac possedisse dicitur locum super litus Garonnæ positum, regalibus ædificiis olim, sicut apparet, constructum, at nunc præ nimia vetustate penitus dirutum & desolatum: qui locus vocatur ab imminente fluvio, qui ibidem sinem accipit, & Garonna absorbetur, Calcis-droci ^{*}, demonstrans ruinas duarum ecclesiarum, quarum principalis est in honore sancti Christophori, altera in honore sancti Eparchii.

Gardina palatium regium nominatur in diplomate Lotharii imperatoris, qui Wimarum ^d cuidam vassallo Villam-novam in Rossilione ad habitandum concedit. Actum Gardina palatio regio, Lotharii anno XX. quem locum Baluzius ^e putat esse prope Aquigranum, ubi tunc Lotharius morabatur.

Turnus Belgicæ secundæ villæ est, qua Carolus Simplex plurimum delectabatur, ut patet ex quibusdam ejus præceptis, in Marca Hispanica relatis. Horum unum est ^f pro ecclesia Gerundensi, actum apud Turnum: alterum pro Helenensi ^g apud Turnum-villam: tertium pro ecclesia item ^h Gerundensi, actum in Setico contra Torn. Hæc præcepta data sunt eo tempore, quo Carolus in Belgica secunda, ut Baluzius ⁱ observat, & quidem in pago Remensi vel Laudunensi, versabatur. Unde conjicere licet, Turnum villam esse illam, quæ infra Castrum-Porciani posita est, haud procul à dextra fluvii Axonæ ripa, vulgo *Le Tour* appellata, nobilis familiæ *Du Tour* caput.

Aliud palatium erat in pago Rotomagensi, loco illo scilicet, quem Veterem-domum appellant, ubi capella palatio contigua erat, sancti Germani episcopi Autisiodorensis nomine insignita, uti discimus ex Herici monachi libro de ejus miraculis, capite XLV. in hæc verba. *In pago Rotomagensi regius fiscus est, quem incolæ ob palatii antiquitatem Veterem-domum nuncupant. Capella palatio contigua, beatissimi Germani famosa nomine, illustris & merito, signorum dote summam sibi facile venerationem obtinuit. Unum erit proposita sufficiens brevitati, quod eo memorare compellimur, quo publicum scimus. Rex Carolus huc fortasse de-venerat, cum Herispogio duce Britonum placitaturus, ac serâ queque de*

CAP. XI.

^a Ibid. p. 450.^b Iter Ital. p. 118.^c Spicil. to. 13. p. 460.^{*} Codrot.^d Marca Hisp. p. 771.
^e Ibid. p. 351.^f Ibid. p. 828. & seq.^g Ibid. p. 833.^h Ibid. p. 845.ⁱ Ibid. p. 375. & seq.

CAP. XI. regni negotiis tractaturus, &c. Hic colloquium habitum est sub annum DCCC XLIII. quo Carolus cum Herispogio^a confligit.

^a Chesn. 10. 2.
p. 336.

VII. Huc referenda videtur veteris palatii descriptio, qualis in chartario Farfensi habetur in hunc modum. In primo proaulium, id est locus ante aulam. In secundo saluatorium, id est locus salutandi officio deputatus, juxta majorem domum constitutus. In tertio consistorium, id est domus in palatio magna & ampla, ubi lites & causae audiebantur, & discutebantur; dictum consistorium à consistendo, quia ibi, ut qualibet audirent & terminarent negotia, judices vel officiales consistere debent. In quarto trichorum, id est domus convivii deputata, in qua sunt tres ordines mensarum; & dictum est à tribus choris, id est tribus ordinibus, comessantium. In quinto zeta hyemales, id est camerae hiberno tempore competentes. In sexto zeta aestivales, id est camerae aëstivo tempore competentes. In septimo epicauitorium & triclinia accubitanca, id est domus, in qua incensum & aromata in igne ponebantur, ut magnates odore vario reficerentur, in eadem domo tripertito ordine confidentes. In octavo thermae, id est balnearum locus calidarum. In nono gymnasium, id est locus disputationibus & diversis exercitationum generibus deputatus. In decimo coquina, id est domus, ubi pulmenta & cibaria coquantur. In undecimo columbum, id est ubi aquae influunt. In duodecimo hippodromum, id est locus cursui equorum in palatio deputatus. Haëtenus codex Farfensis, quæ licet alibi retulerim, hic tamen, ut in loco, repetere visum est.

Paullo aliter veteris palatii varias partes describit Gottifredus Wendelinus in Glossario Salico, occasione malli, de quo ita scribit. *Mallus, sive mallum, est conventus juris dicundi causa, sive ordinarius, sive extraordinarius. Mellen est loqui, Mel locutio, Maal colloquium. Mallus proinde idem quod Parlement.*

Mallobergum seu Malbergum est aula sive sala, sive amplus locus, in quo conventus celebratur. Bergum est nostrum *Berg*, receptaculum, diversorium seu diata, sub cujus tectum concederet confessus tempore pluvio vel inclemente.

Sala, unde Salica lex, primum domum significat, non quamlibet, sed amplam, instructam & divitem, quæ infra, aut juxta curtem habeat, prædiaque & latifundia, numerosamque familiam servorum, bubulcorum, pastorum, & id genus hominum. Secundo est atrium in magna & splendida domo. Tertio est aula, palatium, regia, prætorium, tribunal summum.

Salici homines, non populi, sed sunt domestici principis, aulica nobilitas, proceres, magnates. Hi, Francorum portio nobilissima, à Batavis pulsi, in Taxandriam se receperunt.

Taxandria seu Texandria est illa regio, quæ ab annis quadringentis Campinia vocatur, vulgo *Kempen*; sic fluminibus cincta, ut sit quasi peninsula, isthmo cohærens cum Atuatibus seu Hasbanis, inter Mosam & Tameræ fontes media.

Francorum Saliorum fines, mare, silva Carbonaria, Legeris fluvius, qui alius esse non potest ab eo, quem nos vocamus *feker*, Galli *Lajarre*, Hasbania limes orientalis, linguam Teutonicam à Walonica separans, Lachara apud Dubletum^b.

^b Doublet
p. 724.

Hæc fusius fortasse, quam par esset, retuli, sed, ut reor, non parum idonea ad rem diplomaticam illustrandam. Ex his patet, quid sibi velint duo Caroli Calvi diplomata, data apud *Salas Basii*, quo nomine regale Basivi atrium ex dictis intelligitur.

VIII. Antequam hoc caput absolvam, non ab re erit hic breviter agere de instrumentis, quibus veteres notarii & antiquarii ad scribendum utebantur, quod quidem in libro primo videtur desiderari. In primis, qui in tabulis ceratis compendio res describebant notarii, stilo utebantur; qui vero libros, diplomata & chartas exarabant, pennis avium, an calamis ex arundine factis usi sint, non ita liquet. Hanc questionem in paucis aperuit Browerus in notationibus ad carmen XXVIII. HRabani Mauri. Quæri solet, inquit, an prisca nostri cœnobitæ, qui pellibus & membranis tot serinia bibliothecarum impleverunt, pennis, ut jam vulgo scriptores, ex anserum, gruum, cygnorumve alis usi sint; an juncis potius & arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisca. Auctores vero, qui rem certo definiant, haud se legisse fatetur vir eruditus; neque ex arundinis & calami promiscua significatione, qua sequioris ætatis nonnulli utuntur, litem finiri posse arbitratur. Si quis conjecturæ locus, apices

mājuscūlos, & ductus unciales, quibus vetustiores membranæ plerumque exaratae sunt, ausim pronuntiare, inquit, calamorum opera perfectos; minutiores litteras & *παρρησιας*, pennis expedita fuisse: quem sensum in versibus Albini, scriptorio consecratis, insinuari putamus.

Tramite quo recto penna volantis eat.

Utriusque, calami & pennæ, in monasteriis ad rituales libros & cantum ecclesiasticum celebrem usum viguisse recordantur avi nostri. Ita Browerus.

Verum, ut dicam hac de re quod sentio, pennis usos fuisse veteres ad scribendos etiam elegantiores libros persuasum habeo. Exstat in Altvillarensi agri Remensis monasterio veterrimus Evangeliorum codex, quem Petrus abbas ab annis fere nongentis, scilicet principatu Ludovici Pii, pontificatu Ebonis archiepiscopi, à Placido monacho litteris aureis eleganter exarari curavit: quo in codice depicti exhibentur quatuor Evangelistæ scribentium in morem, cum penna in manu, in quibusdam ex illis quatuor sic expressa, ut de pennæ usu in scribendo illis temporibus recepto non liceat dubitare. Vidimus & alium codicem vitæ sancti Amandi in abbacia Elnonensi, ante annos circiter septingentos descriptum, in quo Baudemundus * monachus, qui hanc vitam ab annis mille composuit, cum penna itidem in manu repræsentatur. Similia alibi exempla videre licet. Hinc Petrus Venerabilis in epistola ^a ad Gislebertum reclusum, quem ad describendos libros hortatur: *Pro aratro, inquit, convertatur manus ad pennam; pro exarandis agris, divinis litteris pagina exarentur.*

* V. Annal. Bened. to. 1. p. 528.
a Petr. Vener. lib. 1. ep. 20.

Quod attinet ad stilum, eo maxime utebantur veteres ad scribendum in tabulis ceratis. Legimus in veteri codice, modo bibliothecæ Ottobonianæ, carmina Baldrici Burgulienensis abbatis, partim edita, partim haud vulgata, in quibus unum est lugubre, immo festivum carmen de graphio fracto, quo Baldricus ad scribendum in tabulis ceratis per annos decem usus fuerat. Ni res parum seria esset ad propositum nostrum, integrum illud carmen referrem, in quo auctor totum stili artificium & usum describit. Hic venit in mentem Leonis Allatii, qui amisso calamo, quo ad græce scribendum unico per annos quadraginta usus fuerat, adeo indoluit, ut vix lacrymas continuerit. In alio carmine Baldricus ludit in tabulas suas, quæ non cera nigra de more, sed viridi oblita erant, ad recreandos scilicet oculos: ludit & in stilum eis accommodatum, quem fecerat quidam Lambertus Andegavensis; laudatque abbatem Sagiensensem, cujus dono acceperat sacculum, quibus illæ tabulæ, vix semipedales, inclusæ erant. Earundem vero brevitatem atque formam præ ceteris commendat his versibus.

In latum versus vix octo pagina vestra;

In longum vero vix capit hexametrum.

Attamen in vobis pariter sunt octo tabellæ,

Quæ dant bis geminas paginulasque decem.

Cera namque carent altrinsecus exteriores;

Sic faciunt octo quattuor atque decem.

Sic bis sex capiunt, capiunt & carmina centum;

Id quoque multiplices paginulæ faciunt.

Idem versibus suis celebrat Girardum & Hugonem notarios seu scriptores suos, qui carmina sua è tabulis ceratis in membranas referebant. Parcat lector huic digressiunculæ ad relevandum tantisper animum à spinoso illo scribendi genere, quo hætenus usus sum.